

48819. 7.  
Q. D. B. V.  
TEMPLA NON TEMPLA

Dissertatione Philosophica

adumbrata

Annunte Amplissima Facultate Philosophica

PRÆSIDE

VIRO Amplissimo & Celeberrimo

Dn. JACOBO WEDDE/

Eloquentiæ & Poet. Prof. Ord.

h. t. Decano

æquæ Eruditorum *συνεργῆσι*

In almæ Gustavo-Carolinæ, quæ Pernoxæ est,

Audit. Majori,

Die ~~May~~ ~~Aprilis~~ *Aprilis* A. h. MDCCVI.

quem pace festiorem faxit DEUS restituta

placide atq; submisse

exponet

EUSEBIUS SCHÖNFUND/

Riga-Livonus.

---

PERNAVIAE,

Excud. JOHANNES BRENDKEN, Reg. Acad. Typogr



**E**Runt fortasse (fuerunt enim inde  
 ab omni hominum memoria cavillatores  
 Sophistæ, aliorum scripta dictave, nescio quo  
 invidiæ dicam, an insanix æstro perciti per  
 tortuosas quasdam ambages, in alienissima  
 ab iis sententiarum divortia flectentes) qui nos hoc qua-  
 lecunq; Schediasma, suspensa quasi Philosophica hede-  
 ra vendibilis reddituros fuisse judicent, adeoq; aliud,  
 quod dici amat, in nigro quam in rubro quærant; par-  
 tim quod extra meræ historiæ progressi sumus oleas,  
 partim, quod cui in templis vacamus, contemplatio DEi  
 O. M. Theosophias est objectum. Hi tales nobis alias  
 ἀνευ θεωρίας de templorum conditione tradituris, hoc  
 tamen θεωράλιον, quo instituti nostri uberiolem expo-  
 ninimus rationem, mirum non est, quod extorqueant.  
 Sciant itaq; licet, nos ea demum parte admodum man-  
 cas, quas inspicere contigit, templorum historias de-  
 prehendisse, quod, quæ anima est historiæ, Judicium  
 seu morale dicas seu politicum, philosophicum certe,  
 aut frigide nimis aut plane non adpersum sensimus,  
 quum tamen tum demum rerum gestarum monumen-  
 ta in publicam privatamq; probe convertantur utilita-  
 tem, cum earum differentiæ & rationes ad examen re-  
 vocatæ exactum, tanquam ad stateram appenduntur  
 Philosophicam. Cum verò civis non liceat esse Ta-  
 cito, atq; tacite simul ac rigide rerum tam causas quam  
 simulacra perstringere & insinuare, alia fuit ineunda  
 via & à tritis Historiæ callibus paulo deflectendum.

O. D. B. V.

TEMPLA NON TEMPLA

Disquisitione Philosophica

admodum

Annuntio Amphiboliarum Facultate Philosophica

P. R. S. I. D. E.

VIRO Amphiboliarum & Chalcidico

Dr. JACOBO S. S. S. S.

Elodunna & Post. Pror. Ord.

h. e. Decano

ante Eudoniam

In Alma Gussavo-Carolina, qua P. S. S. S.

Audit. Majori

Dr. JACOBO S. S. S. S.

quæritur hæc scilicet: DEUS scilicet

placitæ ut scilicet

explicet

EUSEBIUS S. S. S. S.

1704

PERNAVE

Excud. Johannis Brandenken, Reg. Acad. Typogr.

3. Attamen tantum abest, ut falcem in Theologorum mittere messem constituerimus, ut potius, quæ illorum circa templorum sacra sunt meletemata, de præsentia DEi gratiosa & miraculosa, de Sacro-Sanctis initiationis & *συνάξεως*, & si quæ sunt alia, mysteriis etc. ne primoribus quidem labris delibaverimus, sed communia tantum occupantes & omnibus obvia, formalem quodammodo Templorum rationem, eorundemq; realem differentiam, quoad ejus ex naturalibus principiis fieri potuit, indagaverimus. Neq; vero contemplatio DEi efficiet, quo minus stationem in philosophorum tueamur castris: Pertinere enim ad hos quandam DEi divinarumque rerum Theorian tanto magis patet, quanto minus negari potest, eam ad omnes omnino spectare homines: Nemo quippe mortalium reperietur, cui tanta si-  
ve mentis cæcitas, si-ve voluntatis perversitas atq; malitia conjuncta sit, ut inficietur existentiam summi Numinis, eidemq; honorem & cultum præstare detrectet.

4. Quo verò cultu ens Summum (quod & inferiorum entium cancellis longe sublimius & inde tanto submissiori veneratione tractandum esse vel Gentiles Philosophi agnoverunt) sit afficiendum, naturæ Lex seu dictamen rectæ rationis non satis definit, neq; adeo, ut in templis in magnificè exstructis Palatiis ad reverentiam illi exhibendam conglobatos nos sistamus expresse videtur docere; Hinc originem suam duxit decantata controversia Clarissimorum Juris naturæ Doctorum, quorum haud postremus, Doctissimus Velthemius (b) omnem impendit operam, ut demonstret sacrum Numen

(a) *Lib. III. de Cælo.* (b) *In Notis ad Grotium Lib. I. C. I. tit. p. 1211. seqq.*

men submissione pariter ac cultu non solum interno esse afficiendum, sed hominem vi juris naturæ obstrictum est, ut cultu externo religioso, publica invocatione, extensione manuum, apertura Capitis, gratiarum actione, aliisque signis externis, internam suam quam DEo competere convictus est reverentiam ostendat. Id quod tamen negat vir eruditione varia omnibus notus Christianus Thomasius. (c) qui undiq; conquisitis argumentis probare nititur, hominem quidem ductu sanæ rationis, DEum dignissimum esse qui colatur affequi, verum nullo modo definire & demonstrare posse, DEum ab hominibus cultum externum exigere. DEum enim cultu illo exteriori non habere opus, nec quod hominem attinet ejus socialitatem seu tranquillam vitam directe omissione harum actionum externarum lædi, modo internus non tollatur etc. Verum habeant sibi per me licet rem suam, hanc enim controversiam in me extricandam non suscipio, siquidem neq; cum gentilibus mihi res est, quibus ad ductum rationis, templa omnino exstruenda esse persuadeam, & ipse Dn. Thomasius ea quæ plus adferunt curiositatis, quam utilitatis methodo philosophica exesse jubet; (d) Hinc cum in propatulo sit plerasq; gentes partem cultus divini haud postremam posuisse in magnificorum templorum structione, inq; ornatu eorum eximio nullamq; fere societatem, quæ cura DEi divinarumq; rerum aliquanto prescius tangitur, inveniri quæ non templa sacris contemplationibus voverit, delectationis & exercitii gratia & ut tentem quid valeant humeri, quid fere recusent, disquiram, quid circa hæc sana mens & nullis præpedita

A3

Genti-

(c) *In Jurispr. Div. Inst. Lib. II. C. I. de Officio Hominiis erga DEum.* (d) *In introd. in Logic. C. 1. §. 38.*

6. **Gentilium fascinis Philosophia jubeat.** Isaacus Vosius (e) à *τέμενον* per nonnullas ambages deducit Latinorum tempus, cujus diminutivum sit templum seu tempulum. Ifidorus templa dicit *quasi tecta ad contemplationem divini Numinis ampla*, suaq; ætate omnia ædificia ampla templa nominata esse, Becmannus (f) Josephi Schaligeri (ipsum enim lustrare non datur) sententiam, qua templum à *τέμενον*, est locus ab aliis *sejunctus Religionis causa*, nobis exhibet; De his aliisq; nominis notationibus *Grammatici certant & adhuc sub iudice lis est*; Quod ad me, velim ut pace literatissimi Vosii dissentire ab eo mihi liceat, quod non video, quæ templum temporis fieri *παινημένον* possit: reliquos pari passu ambulare patior: At, Varro subscribere haud dubito (minus alias iudice Schurtz-fleischio (g) felici in investigandis Etymologiis) qui templum à *tuendo dici affirmat sicq;* dictum fuisse *tuempulum*, ut in inscriptionibus quibusdam invenitur. (h) Ut hanc præ aliis eligerem derivationem incitamento fuit, non modo quod viderim plerasq; & præcipuas eodem collimare & indigitari ipsa derivatione aliquo modo finem templorum, sed & antiquissimo & quasi nativo significato templum fuisse *Regionem cæli, quam contemplaturi & auspicia captaturi augures lituo definiebant, secundum quatuor cardines mundi*, ut idem Varro l. c. testatur, ut ut sequiori ævo significarit locum sub terra (i) nec non sepulchrum (k) deniq; omnem locum altum etc. Nos verò hic accipimus pro ædificio publico, adeoq; requisito societatis compositæ atq; perfectæ; non attendentes

(e) *In Obser. ad Pomp. Mel. Lib. II. C. 3.* (f) *in manud. ad Ling. Lat. sub voce tempe.* (g) *in diss. de Antiq. Templ. §. 1.*  
 (b) *Lib. VI. de Lat. Ling.* (i) *Rosinus in Antiquit. Rom. Lib. II. C. II.* (k) *Lib. IV. v. 457. Æneid. Virg.*

dentes analogâ proportionis, scilicet fanum, delubrum, ædem aut sacellum, quod quidam Grammaticorum hoc imprimis caractere discerni à templo existimant, quod sacellum sit locus sacer conclusus absq; tecto, templum locus sacer tecto decoratus; Nostrum ita describimus quod sit **ÆDIFICIUM PUBLICUM, SACRUM, CONSTRUCTUM A SOCIETATE POLITICA, UT SACRA IN EO STATIS TEMPORIBUS PERAGAT, AD CONTEMPLATIONEM SUMMI ENTIS HONORIFICAM SUAMQ; SALUTEM.** Equidem si historiam tam sacram, quam profanam versare satagas, videbis societatem hominum diu caruisse templis ceu ædificiis publicis, nihilominus tamen privato DEI cultui fuisse deditam, non tamen ei, qui hodie à quibusdam hierophantis eatenus approbatur, ut etiam publico præferatur, (quam opinionem jure meritoq; non modo societas Christiana doctissimiq; in ea Doctores averfati sunt, sed & Gedanensium Antistes vigilantissimus Schelwigius (l) repudiare non dubitavit) sed ei, qui quondam vel à singulis seorsim, ita ut unusquisq; contemplationi Divini Entis operam dederit ab omni omnium mortalium remotus strepitu, vel qui ab integris familiis peragebatur in privatissimis secessibus. Cunctis enim hominibus cognitionem summi Numinis ejusque contemplationem inde à mundo condito ad hanc usq; ætatem, (at non æq; omnibus curæ cordiq;) fuisse nemo non affirmabit. Ideo tamen non exstruxere templa in quibus statò tempore convenirent, sed unusquisque animæ suæ Salutem seu æternam seu temporalem data occasione promovere erat sollicitus. Cui enim ignotum erit, si historiam Sacram summis tantum gustaverit labiis, Protoplastas eorumq; posteros, sive qui

DEO

DEO adhæserunt intuearis sive qui ab eo defecerunt, nulla habuisse templa vel ejusmodi loca, ad quæ omnibus aliis exclusis convenire fuerint soliti. Melanchtonis (m) quod attinet opinionem quam ex Josepho. (n) hausit, lubrico inniti fundamento vel Sponte fluit; Columnas enim illas duas, quarum una argillacea altera lapidea fuerit, existimata ab Adamo excitatas & Setho certi loci signa fuisse, ubi sacrificatum & doctrina recitata fuerit; fabulæ credo hæc similia sunt, quam historiæ; nec firmiori nituntur talo, quæ à Rabb. de Posteritate Caini afferuntur habuisse illos templa & loca statuta, in quibus conventus solennes instituerint Sacros. Hoc certe neminem inficias ire posse, sat superq; novi; Cainum alienissimum à DEO fuisse animi eumq; in puritate non permansisse, cum itaque tritum proverbium experientia confirmatum sit, qualis Rex, talis grex, quid dubitandum, quod filii ejus non melioris fuerint frugis. Pessimum enim patrem malis exemplis sibi præeuntem habebant liberi. Inde sane sequitur templa illis ne quicquam fuisse frequentata. Nihilominus Rabbi. Solom. Jarchius. (o) Protoplastis fuisse templa asserit inquiring, וכשל וכשבח המרעה במקום זה הולך ותוקע אהו כמקום אהרו i. e. quando confecerat (Jubal) pastum in loco uno perrexit & erexit tentorium suum in loco alio, & sensu mystico edificavit domus ad colendum idola. Huic Maymonidis testimonium patrocinaur. quod itidem templa una cum siderum cultu sub Enosi jam temporibus originem sortita esse asserit. (p) Postquam ascendit res illa (stellas DEI ministros esse, iisq; cultum divinum impertiendum)

(m) In Chronico Carionis. (n) Lib. I. Antiq. Jud. Rer. C. 2.  
 (o) In Parapbr. ad. Cap. IV. Genes. v. 20. (p) de Idolatria. C. 1. §. 2.

in animos hominum והקריב היכלות לכוכבים i. e. Cæperunt edificare sideribus templa & edificare etc. Lubentissime his assentirer ni obstaret ejusmodi conjecturis Hebræorum magistris nimis faciles præbere aures; Meras enim conjecturas esse, ipsius Jarchi ostendunt verba, mysticæ quippe explicationes vix fidem historicam merentur; Qanta vero injiciant verba Maymonidis animo meo vincula, ut iisdem nulla adductus ratione mutam obedientiam præstem? Certe Dionysius Vossius (q) ansam dubitandi nactus inquit. vellem ordinis majorem rationem habuisset nam simul cum religionis exordio templa fuisse à hominibus exstructa parum sane verosimile videtur; Simplicissimi enim mortalium simplicissimo quoq; cultu usi sunt. Quin imo ut multas silentio transeam rationes, quæ contrarium adstruerent unicam in medium proferre est animus; Cuinam enim ignotum est, de statu antediluviano nihil certi definiri posse siquidem plane omni notitia rerum temporis hujus ἀδύλα (ut Historici vocant) essemus destituti, ni sacrum volumen paucissimis illius mentionem injiceret; ex hisce nobis revelatis attamen vix ac ne vix concluditur hominibus antediluvianis domos ut taceam templa fuisse; primi enim orbis incolæ, minime luxu quodam infecti fuere domus vero (quod cum grano salis accipiendum) signum luxus potius quam parsimonie sunt, sed vivebant sub dio, cibus eorum erant glandes,

Contentiq; cibus nullo cogente creatis  
 Arbuteos factus, montanaq; fraga legebant  
 Cornaq; & in duris berentia mora rubetis  
 Et quæ deciderant patula Jovis arbore glandes. (r)

Nec verosimile est eos statim ædificasse domos, regio enim

(q) In Add. & notis ad Tract. Maymonidis de Idol. (r) Ovidius Lib. I. Metamorph. v. 103. de hominibus aurei seculi canit.

enim quam incolebant si dicamus l. Syriam l. Armeniam vel Melopotamiam fuisse, non sævis infestatur ventis, semper enim ibi ferè æstas, nec pluviis adeo crebris, à quibus tamen ipsis, quod si incommoditatis quid sensissent, antra illis tutum refugium ostendebant quæ hominum prima fuere domicilia (s)

*Tum primum subiere domos, domus antra fuere*

*Et densi frutices & juncti cortice virga.*

Damus tamen & hoc eos eligere potuisse sibiq; fabricare tuguria & tentoria sub quibus Adamum posterosque ejus habitasse forte probabile est. Inde jam sua sponte resultat cultum antediluvianum, certis locis,

15. publicisq; ædificiis circumscriptum non fuisse. Quænam verò loca ante inventa templa frequentata sunt à postdiluvianis? Hos Noachum omnes invenimus agnoscere patrem patriis tamen vestigiis non insistentes omnes; quidam enim nepotum, inter quos Abraham, Isaac, Jacob eorumq; progenies, non modo sæpius singuli seorsim, (quemcunq; sors obtulisset locum,) contemplationi divini Numinis dediti fuere. (t) sed & rupes, montes, inprimis loca, apparitione Dei eximia nota, ad res divinas suis faciendas elegerunt, qua de re testimonia afferre supervacaneum duxi Scripturam enim hujusmodi locis & testimoniis non esse refertam, Scripturæ S. plane rudis, solum negabit. (u) Ne verò locum Gen: XXI. 33. intactum relinquam quercetum quod ibi plantatum legimus, in causa est. Omnes quidem

(s) *Id. de Saturni temporibus (quem multi viri docti Adamum dicunt) l. c. v. 121. testatur.* (t) *Gen. XXIV. 63. C. VIII. 20.*

(u) *quod si quis conferre velit ejusmodi loca videat. Gen. C. XII. v. 7. C. XXVIII. 18. C. XXXIV. 14. C. XXI. 33. C. XXII. Jud. VI. 24. C. XIII. 19. etc.*

dem de eodem afferre opiniones minime de necessitate existimo. Interim sententiam cujusdam Mediæ Spencero, citatam (x) adjungere juvat, quæ optima mihi videtur. *Hujusmodi loca Patriarchæ sacris obligasse putandi sunt, non tantum pro necessitate vitæ rusticæ & pastoritiæ, sed etiam ex ritu & more prisco. Quale enim in principio DEUS fecit homini habitaculum, talia & illi fecerunt DEO; hominem in paradiso collocavit DEUS, homines DEO plantarunt sacros paradisos i. e. lucos, qui plura de hocce locò legere desiderat adeat Spencerum, caute tamen lecturus. Neq; ta-* 17.  
*men his solum in usu fuerunt ante exstructum Tabernaculum loca solitaria. Sed & gentiles Ceremonias publicas, peragere soliti fuere ante templa condita in locis solitariis; Multa enim hausisse vel potius retinuisse à DEO ab initio Antediluvianis concessa, Vir eruditus probat. (y) Elegerunt itaq; montes & loca alta, eademq; præ cæteris adamarunt, hac inprimis fascinati opinione Diis facilius ea innotescere, quæ in montibus clivisq; agebantur, cui & subscribit Tacitus (z) de montibus loquens. Gentes maxime loca cælo ferè contigua frequentare, precesq; mortaliū à diis nusquam propius ex audiri. Cur verò montes elegerint in quibus sacrificarent, ritus gentiliū recludit. In consuetudinem inter eos ivisse mortuos suos, viros integritate vitæ, rerumq; gestarum fama claros in montibus sepelire; (a) Mortuorum verò animas circa sepulchra sua vagari credebant, quæ & propterea æternas domus adpellabant.*

HÆC. DOMUS. ÆTERNA. HIC. SUM.  
SITUS. HIC. ERO. SEMPER. (b)

B<sub>2</sub>

Quod

(x) *De L. L. Heb. Rit. Lib. II. C. XVI.* (y) *Clasenius in Theol. Gent. (z) Lib. ult. Annal. (d) Isidorus Lib. XV. C. II. Hospinian. l. c. Lib. III. p. 342. (b) Schedius de DIs. Germ. p. 447.*

Quod si deficeret mons coarcervabant cœspites & aram  
sublimem efficere studebant. (c)

*Iustaq; solventes in primo ereximus aram  
Littore sublimem.*

18. Græci vero non solum hac falsa persuasione infecti fue-  
re, sed & aliæ Gentes tam Asiaticæ quam Europeæ;  
Persis (d) verò sancitum est ut in altissimos montium verti-  
ces ascendentes Jovi sacrificent, Jovem universum cœli ambitum  
adpellantes. Oelandiæ maris Balthici Insulæ homines  
plane montem ceu DEum veneratisunt (e). De Livo-  
niæ nostræ rusticis, è quorum mentibus avitam super-  
stitionem eruere Hercules, quò circa hoc Augiæ sta-  
bulum repurgandum Venerabiles defudarunt antisti-  
tes, conatus nondum valuit, de eorum montibus, quos  
inter cæruleus ille sic dictus ad villam Mojan, alius pro-  
pe Takkerort tribus saltem ab hinc milliaribus, aliique  
referuntur, jam nunc nihil evolvemus. Montium ve-  
rò studio non solum tenebantur, sed luci quoq; oblecta-  
tioni erant; ne quid illibatum aut non inquinatum ido-  
latriâ remaneret, de Gallis, Cæsar; (f) Græcos vero in  
immensum delirasse patet, cum singulis arboribus præ-  
sides DEas fingerent, quas Hamadryades adpellabant;  
quas sylvis verò custodes dabant Dryades nominabant.  
Hinc decantatum Oraculum Dodonæum, cujus æmu-  
lum Græcia non novit, unicuiq; Scripta Græcorum  
Poetarum intuenti patebit. Idem quoque usu venit  
Septentrionis incolis inprimis Germanis, quos quidem  
superstitione eum in modum non inquinatos fuisse ut  
Græcos sat superq; constat: nihilominus eligebant quer-  
ceta

(c) Appollodorus. Lib. II. Argonaut. p. 447. (d) Herodot. Clío.  
(e) Olaus Magnus Lib. II. C. 24 (f) non uno loco de Bello  
Gallico.

ceta sub quibus sacra facerent, ut loca cultui divino po-  
tissimum apta, manucente vel simplicitate propria,  
qua ob proceritatem arborum caufarum ignari in stu-  
porem agebantur. Celtis, (g) Hællis, (h) Prusis. (i) Bo-  
jis (k) arbuta fuisse sacra uno ore omnes profitentur  
Historici. Imo nec Svecia ab hac superstitione fuit  
immunis. (l) Quid vero opus est conquirere testimo-  
nia in re notissima, inprimis cum nostra Livonia hodie-  
num reliquias hujus cultus & venerationis ostendat.  
Rustici enim parvos lucos ædibus suis conterminos  
servant, quos succidendo maximum crimen committi  
existimant; quinimo & in sylvis ejusmodi arbores ele-  
gère, quas violare nefas ducunt; qualem quidem arbo-  
rem me deprehendisse memini in deserto Luneburgi-  
co, alias Luneburger Hende. vetustatem suam canitie  
prodentem, undiq; lapidibus mole sua conspicuis ceu  
corona cinctam, quam & sacram olim fuisse haud du-  
bito, cum & hodiernum rusticos ejus plagæ, multifariæ  
superstitioni deditos invenerim. Ad hæc arbores, ad  
sacros suos lucos veteres conveniebant responsa capta-  
turi, in iisdem præsentibus sacrificulis de Patriæ utilita-  
te & commodo consilia inibant hisq; peractis sacra sua  
faciebant. Sane si cuncta loca Gentilium cultui dicata 21.  
recensere vellem, metas dissertationis supergredi ne-  
cesse esse: De antris multa Gentilium afferenda essent  
testimonia, quod & illa fuerint sacra. Eoq; facilius Sa-  
tan

B 3

(g) Maximus Tyrius. Serm. XXXVIII. (h) Oiblonus in Vita  
Boni facii Apostoli Germanici nomine superbientis C. XXVII. ve-  
nisse eum in regionem Hællorum ubi arborem Jovis succiderit &  
loco ejus sacellum condiderit. (i) Hartknochius in Chronico Prus-  
sico. (k) Aventinus lib. III. Annal. (l) Schefferus in Upsalia  
Antiqua C. IV.

tanas hominibus pervasit, antra sanctitatem quandam habere, quo magis novit ingenium humanum, in admirationem vetustorum ad superstitionem usque esse pronum. Viderant enim & ex traditione illis notum erat, antra primis Heroibus qui eorum erant dii, domicilia dedisse hinc & post mortem domicilia eorum esse credebant, & sacra, incolis in numerum DEorum relatis; In recensendis illis actum agere nolo, cum jam dicta multis asserere possem exemplis nisi Hospinianus (m) provinciam illam mihi præripuisset. Id unicum mihi reliquum fecit, quod etiam non præter rem erit hic delibasse, vestigia hujus gentilismi (quæ tamen obruere & evertere Patriæ & Ecclesiæ patres quanta non cura al- laborarunt) apud nostrates quoque rusticos & imprimis prope pagum Salis exstare, quæ tamen expressius detegere, hujus non videtur loci esse. Quoniam verò DEorum numerus triplex erat apud Gentiles, quorum quidam cœlestes, quidam inferorum, reliqui dii marini nominabantur, sic & pro diversitate illorum diversa illis dicabant loca; Illos declivia montium, marinos littora adamare credebant; Diis inferorum in fovea sacrificabant.

*Aut procul egestis Scrobibus tellure duabus*

*Sacra facit, cultrosque in guttura velleris atris.*

*Conjicit & patulas perfundit Sanguine fossas. (n)*

22. Quod si hoc perlustrando in superficie hæere quis voluerit, in animum sibi facile inducere poterit. Templum plane non esse necessaria cum status politicus & Societas humana non turbata fuerit tot seculis destituta templis. Ecquod itaque detrimentum Societas politica hodiernum

(m) de Orig. Templ. Lib. I. p. 5. seq.

(n) Ovid. Lib. VIII.

Metam.

dienum capere posset, si omnia hæc ædificia tollerentur, quod seculum Anabaptistis & Enthusiastis odio Vatiniano templa persequentibus in optatis esset, quorum Argg. videtur refutata apud Hospinianum. (o) Verum largior de necessitate absoluta & essentia Societatis quidem non esse templa, ita ut iisdem destituta Societas tranquillitatis & salutis periculum adire teneatur præsentissimum, quinimo verè societas & perfectè non sit, alias enim tamdiu illis carere non potuisset, (si modo omnino caruit & montes, lucos etc. analogum quid, quo defectus templorum resarciretur, fuisse, dicendum non est.) Esse tamen ea sub conditione & ad bene esse Societatis necessaria, luce clarius meridiana est, si ponas quod communio religionis & pietas erga DEum adeo necessaria sit, ut teste Cicerone (p) sublata ea, ipsa societas humani generis tollatur, ad hanc autem homines eo melius non invitantur modo, sed & manu quasi adducuntur, quo frequentius conventus in templis ædibusque sacris instituuntur, illos enim aliàs cultum DEI, contemplationemque ejus susque deque omni habituros tempore fuisse, quem non vel sua edocet indoles. Dein & hæc utilitas frequentem templorum visitationem sequitur, ut concordia stabiliatur & servetur, imo ut societas, eo arctioribus vinculis constringatur, dum singula ejusdem societatis membra uno loco & eodem DEI cultu uniuntur. Id quod non modo *Plura* agnovit, qui Religionem *συνεληθὸν ἀπάσης κοινωσίας καὶ νομοθεσίας ἐρεῖσθαι*, *Coalogum omnis societatis & fundamentum legislationis vocat sed & Philo, inquit* *Φίλτρον ἀνοσιμώτατον καὶ δίσωλον ἀλλήλων ἐνοίας ερωτικῆς ἢ τῆ ἐνὸς θεῷ πῆν.* *Efficacissimum amatorium & vinculum, indissolubile benevola amicitia, unius DEI*

(o) L. c. p. 5. seqq.

(p) Lib. I. de nat. Deor.

*Dei cultus.* (q) Quin quod in templis pro aris & focus  
 dimicare & ita justam pariter ac honestam agere vi-  
 tam, ne nec aras nec fidem (quod proverbio invaluit)  
 dicantur habere, adeoq; DEUM colere, neminem læde-  
 re, suum cuiq; tribuere edocti paulatim advescant ho-  
 mines, juxta cum innumeris aliis, quæ præter Theologi-  
 cas recenseri possent utilitates, taceo: Taceo quod expu-  
 blica hac reverentiæ ac timoris DEI (qui cæteroquin ignes  
 facti) suscitatione observantia Principum, & magistra-  
 tum unice pendeat. Neq; enim vulgus πολυέφαλον  
 illud animal, quod si non majori ac reliqua animantia,  
 certe pari saltim & communi libertatis suæ desiderio na-  
 tura ducitur, umbratili legum vinculo constringi & so-  
 lo Sacræ Majestatis fulgore coerceri posset, nisi interna  
 quædam vis ad agnoscendum summum Numen, hæc  
 verò agnitio ad suspiciendum terrestria hæc Numina,  
 quæ illius quasi vicem supplent, adigeret, nisi hoc con-  
 scientiæ dictamen publice subinde confirmaretur & re-  
 novaretur, eumq; in finem primitus templa exstructa  
 25. fuisse testatur Dionys. Halicarnassæus (r). Hinc quæ  
 Sanctitas jam templis conveniat, unumquemq; cogno-  
 scere sum persuasus, non interna talis, qua lateribus &  
 interlito bitumini seu calci sacri quid inest, neq; mere  
 externa, sed quæ ex fine cognoscitur, quo sensu tem-  
 plum sacrum audit, quoad cultui & contemplationi  
 DEI servit. Hic consentientem habeo Grotium. (s) in-  
 quit enim *que Sacra dceuntur, non eripiuntur humanis usibus,*  
*sed publica sunt, sacra autem nominantur à fine cui destinata sunt.*  
 Nec non Ill. L. B. de Lincker. (t) qui *templa inviolabilia*  
 esse

(q) Grotius de J. B. & P. Lib. II. C. XX. §. 44. (r) Lib. IV. de Antq.  
 Rom. (s) L. c. Lib. II. C. V. §. 2. (t) Diss. de Juribus Templorum C. X.

esse asserit hac inprimis commotus ratione, quia autho-  
 ritate Principis post consecrationem à ministro verbi divini fa-  
 ctam juris divini fiant. Quod si enim sanctitas illis esset 26.  
 adeo conjuncta, ut separari non posset omnes pecca-  
 rent, qui eadem in profanos convertere usus non dubi-  
 tarent: Si lapidibus & calci sanctitas quædam inhære-  
 ret, nec finis templa Sacra faceret, omnes illi, qui tem-  
 pore Reformationis tot templa tot sacella vel exaugu-  
 rarunt l. plane destruxerunt peccassent. Attamen eos  
 violatorum divinarum rerum nomine insigniri nefas  
 est; quod exauspicata illa templa, non templa fuerunt,  
 ut infra evictum dabimus: quid quod ne illos quidem  
 sacrilegos putem dicendos, qui circa expugnanda vel  
 defendenda castella & munimenta urbium templa eo-  
 rumq; turres in usum convertunt bellicum, quod ces-  
 sante sine cessat sanctitas, vel saltim nulla turribus hisce  
 & tectis per se competit. Piaculum tamen esse statuo,  
 si publica salus non subest, temere hisipsis manum in-  
 jicere violentam, nè quibus parum fidei pietatisq; esse  
 poëta dudum conquestus est, viri castra sequentes, quid-  
 vis sibi impune licere persuadeant. Quo itaq; Lector 27.  
 benevolus opinionis hujusce rationes facilius assequatur,  
 necesse est, ut quid locum sacrum faciat investigemus.  
 Verum enim verò omnes significationes vocabuli Sa-  
 crum perquirere volenti incumberet ex integro differ-  
 tationem conscribere, quæ tamen nec sufficeret; hinc  
 duos tresve significatus enotare tert animus. Primum  
 1º Sacrum competit in sensu strictissimo Summo Nu-  
 mini, qua propter & ab Hebr. appellatur הקדש, quam  
 Sanctitatem hic non intelligimus, alias Theologorum  
 Scholas turbaremus; Dein si Scripturam indagamus  
 videmus nullum locum appellari sanctum, nisi in quo

DEUS singulare præsentia suæ signum ostendit; nec ullam rem sacram: nisi quam lege quadam Speciali legislator summus, usui hominis pro fano eripuit. Hoc significatu, sacrum vel sanctum erat Tabernaculum & templum, quia DEUS domicilium suum in iisdem habebat singulari quodam modo. Hinc & omnia vasa cultui divino inservientia sacra erant, usibusq; profanis eximiebantur, quoniam DEUS (u) hanc Legem Israelitis tulerat: *Loquere Aaroni & filiis ejus ut separent se à Sanctis filiorum Israel, & non polluant nomen meum sanctum in iis omnibus; quæ ipsi sanctificaverunt mihi: Quoniam verò contra hanc Legem peccaverant Israelitæ & Sacerdotes hinc DEUS (x) inquit. Sacerdotes violarunt legem meam & polluerunt sancta mea, sanctum & profanum non discreverunt. Eamque ob causam Beelsazaar Chaldæorum Monarcha pœnas dare cogebatur, quod vasa cultui divino dicata exaugurare vellet. De hac ex præsentia Dei sanctitate penes venerandd. Sacrarum pandectarum interpretes, itidem esto iudicium. Me nisi hic *ἀσίουβολου* esse oporteret, multa inducerent, ut adfererem, eam cum nostra, quam ex fine pendere diximus sanctitate, quam arctissime cohærere, quia colentibus sese & contemplantibus, DEUS adesse sua præsentia demum dignatur. Politice, ut Regum honori & Sacrae Majestati consultum esset, nos ab omni antiquitate receptus est, ut res quasdam sibi sacras haberent, nec promiscuis aliorum usibus violandas, quales sunt purpura Regalis, diadema, encausti genus aliaq; quæ vocantur regalia, quod si quis ea in privatos usus adhiberet, quodammodo læsæ Majestatis reus habebatur. Dein Sacrum & inviolabile quid est, ex jussu principis, aut ex voluntate societatis publicæ, sic*

(u) Lev. XXII. 2.

(x) Ezech. XXII. 26.

cæ, sic basilicæ ad negotiationes magnificè exstructæ loca Sacra habentur, quæ immunitate quadam gaudent & privilegio. Inprimis tandem ut videamus, quænam Sanctitas templis conveniat notandum finem facere, ut aliquid sit sanctum. Hinc curiæ, quia sedes justitiæ & templa publici consilii sunt, sacra habentur. Id probe vel ipsi agnoverunt gentiles, qui ob finem tantum nempe contemplationem vel præsentiam numinis templa sacra esse dixerunt. Sic quoties cunq; factum, ut simulacrum quibus numen inesse credebant, è fano seu delubro tolleretur, cessavit illud templum Sacrum nominari. Id quod Pausanias (y) fatetur. Gentilibus persuasum fuisse templum quodvis numine vacuum & omni sanctitate cassum esse, de Sylla enim loquens, quod Deæ Minervæ simulacrū sacrilegus eripuisset inquit. *Ipsium autem templum, erepto signo deseri deinceps & negligi ceptum, numine veluti orbatum.* Cum itaq; Gentiles ex fine sua fana sacra habuerint, merito tamen nominanda profana, nonne vel sponte fluit sua, ædificium rebus divinis inserviens, & à tota Societate Politica ipsoq; jussu principis, contemplationi Dei destinatum, summo jure Sacrum nominandum, frementibus licet novitatis studiosis? Verum hoc in pejorem partem nemo rapere debet, quod Societati politicæ jus & potestatem excitandi 29. templa absolute deferimus. Quicquid enim Magistratus, nomine Societatis, inq; publicum ejusdem usum præstat, ipsa præstitisse putatur. Neq; mandatum Dei (si modo expressum de templo construendo habetur, quod cum ad Theologiam Exegeticam spectet, nostrum non est disceptantibus ipsis interpretibus expedire) impedit, quò minus libera potestas, statuendi templa Societati

(y) In Bæot. p. m. 542.

tati vindicetur, cum non ita absolutum & generale sit illud, quin plurimas condiciones & restrictiones involvat. Imperante Davide templum certè erigi non debebat, Mofijam dum (si Rabb. fabula vera) DEUS templum condendum delineavit (z) res enim Societatis non ferebat. Sic omnitempore collatis quasi rationibus, Societas deliberavit, utrum essent locanda templa, necne? De prima Christianorum societate, res extra omnem controversiæ aleam est posita. De Gentilibus audiamus Platonem (æ) *Templorum constitutiones & sacrificia, caterig, DEorum & demonū cultus & quæcumq; sunt ad eos placandos ministeria subeunda, talia profecto neq; ipsi scimus & in ordinanda civitate nulli credemus alteri nisi patrio DEo ei videtur concinere, Publius Pap. Statius. (a)*

*Nulli commissa metallo.*

*Forma DEi, mentes habitare & pectora gaudet*

30. Hinc multas gentes idololatria contaminatas templa diu rejecisse videmus. Nominaffe sufficet Germanos & Persas; De Germanis Tacitus. (b) *Nec cohibere parietibus DEos, nec ullam humani oris speciem, assimilare ex agnitione caelestium arbitrantur, Persas Antiq. Cicero. (c) DIIs & templis bellum quondam indixisse affirmat, quod Græci parietibus includerent DEos, quibus omnia deberent esse patentia & libera, quorumq; hic mundus omnis templum esset aut domus; qua propter & cuncta templa in Græcia vastarint, iridentes novos Græcorum DEOS; quo ipso illos nihil contra jus gentium fecisse etsi multi id ad invidiam exaggerent Græci Scriptores, affirmat Grotius (d) Celeberrimus*

Schurtz-

(z) confer. *Lundium. von den Heiligthümern der Jüd. Lib. 2. C. 1. §. 3.* (æ) *In Tract. de RePl. (a) Thebaid. L. XII. (b) Lib. de moribus Germ. (c) Lib. II. Leg. (d) d. J. B. & P. L. b. III. C. V. §. 2.*

Schurtzfleischius (e) quidem asserit ex *Xenophontis Cyropædia*. Persis fuisse templa tempore Cyri: Verum Xenophontis Tract. nihil probare, autor mihi est, vir literaturæ elegantioris facile Princeps Josephus Scaliger (f) inquit: Nam *Xenophontem tam constat Historiam noluisse scribere, sed exemplum bene educi Principis proponere quam certum est, nihil in tota Cyropædia verum esse præter sola nomina & nudam mentionem duorum aut trium casuum, ut Babylonis capti, Cræsi victi, sed tempora, series gestarum rerum etc, ut illo auctore ponuntur, omnia inquam vera sunt, si vera sunt Ethiopica Heliodori; hæc forte desumpsit ex Cicerone (g), Cyrus ille à Xenophonte non ad Historia fidem, scriptus sed ad effigiem justii imperii; Confer insuper de Persis Barnabam Briffonium. (h) Imo & hodiernum multas gentes inveniri templis destitutas itineraria passim docent. Inde equidem 31. sua radiat luce, liberum esse societati construere templa, & non construere; neq; tamen minus facient ad bene esse Societatis, si quidem vel unico Cambysis & Oropastæ exemplo, quæ DEi, quæ justii, æqui & boni cura, quæ Principis observantia subditis fuerit, dum Rex in religionem & templa grassatus est, evincitur (i). Hinc non defuere, qui plane à consiliis ejusmodi abirent, templaq; necessario exstruenda assererent: quorum primariifuerit Ægyptii, quorum patriam Wowerius (k) *matrem superstitionis adpellat; His album adjecerunt calculum Incolæ Asiæ minoris & Græci ut Herodotus testatur. Ægyptii primi omnium duodecim DEorum nomina instituerunt & ab illis Græci acceperunt: Hi rursus magnam DEorum coloniam ad exterarum civitates postea transmiserunt; Romanos**

C3

præci-

(e) l. c. (f) *In Proleg. ad opus de Emend. Temporum d. 3. b. (g) Lib. I. Epist. I. ad Quintum frat. (h) de Regio Pers. Princ. Lib. II. p. 169. (i) ut Justinus Lib. I. C. ult. (k) in Comm. ad Minuit. Felicem: (ex Sarisberiensis. Lib. I. de Nagis Cunal. C. X.) p. 64.*

32. præcipuè infecerunt hoc veneno, omnem enim eorum Religionem & Theologiam profluxisse ex Arcadia, præter Antiqq. Scriptores, Huetius (l) asserit. Hi dein laxatis quasi habenis in exstruendis templis progressi inter reliquas gentes eminere voluerunt; In Commodum populi utq; eo magis contemplationibus se daret Sacris, omnia ferè loca templis impleverunt; Si Diis placet; Nam pleraq; simulacra Religionis, simulacra quædam politica & flagitia dominationis, ut Tacitus amat loqui, fuisse infra demonstrabitur. Neq; tamen proinde sequitur, quod sit omnis pietas, aut studium erigendi templa tale flagitium dominationis seu modus coercedendi plebem cum magistratui jus suum circa templa reservatur; Nam Magistratui Politico incumbere peculiarem curam pro societate humana bene Grotius (m) notat: Hæc vero & illam includit, quæ cultum Dei concernit, cujus finis ultimus eo vergit, ut per contemplationem Dei non modo felicitas temporalis, sed & felicitas perpetuo post mortem duraturæ vitæ illis contingat (n). At hæc contemplatio est finis Philosophiæ Theoreticæ, ut vult Aristoteles, imo finis ultimatus ad quem cuncti collimant fines practici, quemadmodum ad summum bonum Theoreticum. S. B. tam civile quem morale etc. faciunt. Cum vero actiones aliæ atq; aliæ longius ab hoc fine ultimo distent, operatio certe circa Sacra, qua cultui vacamus divino, quàm proximè à Summi Entis contemplatione abest: Proin finem hunc ultimum cum intermedio illo in ipsa quam dedimus templorum descriptione conjungere tanto magis necessarium esse duximus, ut cuiq; formalis, quam vocant ratio seu ut alias

(l) In Demonstr. Evang. p. m. 226. (m) de J. B. & P. Lib. II. C. XX. §. 44. (n) Clasenii Theol. Gent. Lib. I. C. 3. §. II.

aliàs Philosophi loquuntur, causa quidditatis templorum pateat, qui vel nudam hanc descriptionem, vel quæ in uberiorem ejus explanationem, ut ut breviter (quippe plurima, quæ aliàs in hanc rem dicenda fuissent premere sumus coacti,) allata sunt, expendere voluerit. Quod ad realem templorum differentiam attinet, quam 33. consecrari hoc proposuimus scripto, non est, quod subtilitatum inutilium & distinctionum à nobis expectetur farrago. Licet enim potuissemus ejus surfuris massam prægrandem vel ipsimet nobis, pro ingenioli modulo, fingere & conficere, vel ex auctoribus congestam hic infarcire, minime tamen bene l. docere l. distinguere credimus, qui ad nauseam usq; tricis illis & distinctionibus, quas vocant rationis ratiocinantis ac ratiocinatæ, tanquam telis quibusdam araneorum cerebellum misere irretiunt & incrustant. Et quantillum quæso in his veri? quid fundamenti? quæ realis differentia? nostra verò dissertatiuncula hanc ipso præfert titulo. Nemo enim nos de non ente Metaphysico agere sibi persvadeat ex contradictione, ut loquuntur, in adjecto, quæ templa non templa nominamus, sunt certe templa nomine tantum talia, quæ re ipsa nihil minus sunt, ut meliori jure in Paradiso templum videatur reperisse Lutherus (a). Wann die ersten Eltern im Stande der Unschuld geblieben wären/wäre der Baum des Erkenntnisses gutes und böses die Kirche gewesen/wo Adam mit seinen Nachkömmlingen am Sabbath-Tage zusammen kommen wäre/und hätte der erste Mensch die Predigt Göttlichen Worts/und andere äußerliche Übungen der Kirchen so lange beh behalten/bis er nach einiger Zeit mit Leib und Seele in den Himmel von dem HERRN wäre erhoben worden.

Quo-

(a) In Com. in Gen. Cap. 3.

34. Quocumq; ergo sic dicta templa à verè & propriè talibus discernuntur, id omni procul dubio realem templorum differentiam vocare conveniet, quæ proin ex ipsa essentia & principio eorum primo (quod, si placet, eandè formalem, quam descripsimus, rationem vocabis) petenda. Cum autem finis in practicis sit principium, non à magnificentia & luxu denominantur templa quasi tecta ampla, non inde nomen sortita sunt quod sint palatia, quod sint decorata auro, quibus nitidius extruendis vix Paria & Transalpina marmora suffecerunt, sed inde sustinent titulum, quod operamur sacris, & quod contemplatur inibi societas ens summum, quod tamen in omnibus fieri templis tantum abest, ut probari queat, ut potius canam antiquitatem præter Tabernaculum & templum Hierosolymitanum (quod & ipsum in templum non templum postea degeneravit) verum non vidisse templum in aprico sit positum.

35. Tabernaculum sane omnia requisita veri templi complectitur, agnoscebat autorem Deum qui Israelis erat Rex & Princeps, & singulari se modo ibi palpandum quasi dabat sibi; illud in domum & sanctuarium elegerat, ut majestatis & præsentia indicia exhiberet prorsus miranda. Hæc oculis, hæc auribus, hæc mentibus haurire, hæc contemplari populus jubebatur. Nec dum conspicuum & evidens principium hujus templi ex fine erit? Ego sane crediderim: hinc super se deo accuratiori demonstratione præsertim cum tabernaculi ratio Philosophice deduci non amet, quippe templum hoc portatile templorum potius sacrorum typus, mystica præterea multa & merè Theologica habens dici debet quam proprie templum: Qui vero expetit ejus descriptionem & omnia, quæ experiri contigit, fata cognoscere, adeat Lundium.

In

In tract. die Heiligthümer der Juden (p) Tale ferè aliquo 36.  
temporis spatio erat templum Salomonæum interviebat enim primitus soli contemplationi Dei, in illo quotidie sacra instituebantur, quibus mediantebus finem ædificationis exhaurire erant solliciti. Verum nihil tam sanctum & augustum hocce universum complectitur quod non vicissitudini subjectum sit. Hoc in primis Templum Hierosolymitanum exemplo suo corroborare poterit. Quid enim augustius illo, quid sanctius, nonne Salomon hoc ipso salutem Rei Pl. Judaicæ temporalem & æternam firmare annis? nihilominus factum ut tandem & ipsum in templum non templum degeneraverit: non modo tempore, quo clavum imperii tenere Reges Judæ sceleratissimi, quorum mentio fit in libb. Regum & Chron. sed & cum rursus ex ipsis fundamentis exstructum à Serobabele, ævo Salvatoris nostri, mercimoniis ibi emendis & vendendis profanum redderent Judæi. Tum certe non potuit non Dominus acriter in eos invehi adeo flocci facientes imo negligentes finem & verum usum templi inquiring, *Domus mea domus precum, vos vero fecistis speluncam latronum ex ea*, profanando veram ædem Deo dicatam & Sacram ubi potius vos totos contemplationi Summi Numinis tradere debuissetis. Quod si itaq; templum adeo Sacrum ob præsentiam singularem Dei, tandem neglecto fine in templum non templum degeneravit; quid ergo de fanis & delubris Ethnicorum sentiendum? num illa veri templi nomine gaudere possunt? num illa sacra censenda sunt? Pendet & horum ratio ex principio pratico. Nemo h. l. principium cum initio confundat: Hoc consecrari solent, qui historiam templorum tradere satagunt.

D

Illud

(p) Lib. I. per tot.

Illud Philosophicæ est considerationis. Cum tamen in ea inciderimus, paucissimis hoc quoque stadium passibus, & subsultim quasi decurremus. Nam quæ de tempore ἀδύλω supra diximus, huc referri commode possunt: Saltim de tempore αὐθιγῶν ut dispiciamus opus est; Evolventi Scripta & volumina Gentilium Historicorum pariter & poetarum patebit vix duos tresve in templorum origine deducenda convenire. Horum quidam sepulchra originem dedisse templis asserunt, ut Prudentius (q)

*Et tot templa Deum Romæ quot in urbe sepulchra  
Heroum numerare licet*

Huic consentit Arnobius (r) multa eaq; vetustissima templa contegere cineres atq; ossa & defunctorum esse corporum sepulturas. Favent huic opinioni quædam in primis quod veteribus Romanis summa cura sepulchrorum fuit; Sunt hujus sententiæ patroni, Clemens Alexandrinus, Eusebius (s) & novissime ut videtur Schedius (t) Sepulchra enim magnificentius condita, templorū insignita esse nomine Interpp. quidam Virg: docent (u) sed reclamantibus doctissimis Turnebo (v) & Taubmanno (x). Nam non simpliciter sepulchra sed ædiculæ ἀποθεωθέντων templa vocabantur & quidem cum addito familiaria (y). Et si alia quoque sepulchra templorum nomine veniunt, certe fit tantum propter inferias quas, juxta ea Diis manibus cœdebant; sic vero sepulchra nondum sunt initia templorum; Quin studium sepeliendi mortuos suos in ædificiis ad eum usum excitatis demum seculis sequioribus cœpit, antea enim in domibus privatis, montibus & agris infœcundis

sepelie-

(q) Lib. I. contr. Symmachum. (r) Lib. IV. adv. Gent. (s) Præp. Evang. Lib. II. C. 8. (t) l. c. Syngram. III. C. 1. (u) ad Lib. IV. Æneid. v. 457. (v) in advers. (x) ad eund. Loc. Virg. (y) test. Barbatio in advers. Lib. X. C. 1.

sepeliebantur. (z) Schefferus verò plane aliam originem quærit templorum. (a) Non permittebat inquit superstitio antiqua ex qua non sane includi parietibus, sed sub dio in sylvis & lucis Deos honorari oportere putabant ut idolis construerentur templa, sed teste Wormio (b) idola sua Sturgudar dicta primitus mappaliis & tuguriolis tegebant veteres, præter decorum esse existimantes Deos tectis claudi, in primis, ubi culibus debitis placari & majestatem suam exserere debebant, addit vero; per mappalia & tuguriola non clausas quasdam ædiculas, sed qualiacumq; in summo tecta pluvie arcende causa, Deorum imaginibus imposita intelligere debemus. Plura qui cupit singulos audiat suæ sententiæ assertores; Sane hoc certum templa non statim tam magna esse exstructa, sed & illa periodos suas habuisse non secus ac factum videmus in exstructione ædium, nam & hæ ex virgultis argillaq; constabant, ante quam adeo illustria pompam fastumq; sapientia Palatia exinde facta: Eoq; facilius Scheffero assentior, cum extra dubium sit, Idola priora fuisse templis (c). Insuper maxime verosimile videtur à tam exiguis initiis templa originem ducere suam. Idola erexere gentes auro conspicua, sub arboribus patulis, verum cum nec hæ tutum Deorum refugium esse possent imponebant tuguriola seu mappalia ad arcendam pluviam, quæ demum successu temporis dilatata, dein circumsepta & deniq; sacerdotibus gentilium sanctitatem eximiam affectantibus plane clausa hominumq; aspectui subducta sunt, unde tamen templa in tantam excrevere molem. Huc etiam digitum intendit Ovidius (d) illis.

D2

Jupiter

(z) Polyd. Verg. de Inv. Rer. Lib. III. C. X. Bonif. Rhodiginus Hist. Ludic. Lib. V. C. XXII. & seqq. aliq; innumm. (a) Upsalia Antiq. C. IV. (b) Lib. I. Monum. C. 3. (c) Selden. de Dis. Syris Proleg. C. 3. p. m. 47. (d) Lib. I. Fast. v. 198.

*Jupiter angusta vix totus stabat in ade  
Inq; Jovis dextra fictile fulmen erat.*

Concinit ei alius. (e)

*Tunc melius tenuere fidem cum paupere cultu  
Stabat in exigua ligneus ade DEus.*

40. Quonam verò tempore primum exstructum sit templum, quemq; annum agnoscat natalem, vix possibile est ut accurate indigitari possit à quopiam. Scriptura eorum lat antiquam mentionem facit. (f) Haud probabile tamen est templa jam condi cæpta vel tempore Nimrodi ut quidam volunt, Turrim Babylonicam primum fuisse templum, quam opinionem rejicit clarissimus Bilbergius. (g) Vel etiam tempore Tarah & Seruchi Patris & Proavi Abrahami ut vult Sain Abenbatrich. (h) Tutius igitur est antiquitatem templorum asserere verum non ad tempora diluvii vel antediluviana ut Rabb. volunt extendere, id quod Lactantius (i) haud inepte fecisse mihi videtur. Refert enim initia Idololatriæ & templorum ad tempora Jovis quem CCCXXII. annis ante bellum Trojanum vixisse tradit huic adstipulatur Hospinianus (k) ad incerta hæc templorum primordia referas per commode dubias scriptorum de primo templi conditore assertiones, quæ quidem nullo negotio conciliari possunt. Cum enim Polyd.

Vergi-

(e) Tibullus. (f) In libris Moysis jam templorum & sanorum fit mentio Dent. 34. 6. Beth-Peor, Tempore Judicum & Samuelis jam templa fuisse omnibus Script. legentibus notum est, quin dedisse civitatibus quibusdã nomina ex Jos. XIX. v. 22. 27. patet ut Beth-Semes: domus s. templum Solis & Beth-Dagon, Domus Dagon Idoli Philistaorum cujus fit mentio 1. Sam. IV. (g) in Diff. de Orig. temp. c. 3. §. 9. (h) cit à Selden l. c. Proleg. C. p. 47. (i) Lib. I. Instit. div. p. m. 92. 93. (k) l. c. Lib. I. C. V.

Vergilius Epimenidem Cretensem. (l) Deucalionem Hospinianus (m) Janum Schurtzfleischius (n) Prometheus Ægyptium primum fabricatorem templorum Arnobius (o) facit; revera hi primi conditores esse potuerunt at quilibet in sua regione. Verum his diutius immorari 41.  
supervacaneum erit; neminem enim primum omnium templorum structorem indubitato indicare & nominare posse pro certo habeo, neq; adeo disquisitionem majorem meretur, quibusnam in locis & quo situ fuerint exstructa. Rosinus (p) enim hanc in se suscepit Spartam, non omnibus Diis promiscue omni loco templa ædificare solebant, aliis enim intra urbem, aliis extra urbem, aliis in montibus aliis in foro, aliis alibi templa construebantur. Inprimis tamen civitates tam egregiis ornare palatiis voluerunt, præstantissimorum enim templorum sedes erant urbes, Religioni tamen non duxerunt, eadem in locis solitariis extra urbem ad littora exstruere, imo quandoq; eligebant agros, Terræ enim fœcunditatem promovere templa somniabant in agris posita; Inprimis tamen eligebant loca antea sacra l. ob præsentiam dæmonis (q) l. ob præsentiam arboris aut luci, quem quondam reverentia profecuti erant. O. Wormius (r) egregium Septentrionis pagani κειμήλιον describens scil. templum antiquissimum Upsaliense addit, arborē singularem & proceram admodum stetitisse juxta illud; Idem de templo Jovis Feretrii legimus erecto, ubi antea quercus sacra stetit. (s) Hic juvat inspergere quædam de situ 42.  
templorum nemo facile negabit fana & delubra gentili-

D 3

(l) l. c. Lib. III. C. 9. (m) l. c. Lib. I. p. 20. (n) in Diff. cit. (o) Lib. VI. contra Gentes. (p) l. c. Lib. II. C. 2. (q) Origenes. Lib. III. contra Celsum. (r) Lib. III. Monum. Spec. C. V. (s) Rosinus l. c. Lib. II. C. 5.

um respexisse orientem; luculentissimis enim testimoniis omnia volumina impleta. Nihilominus Spencerus (t) ex ista Hypothesi Judæos in struendo templo gentilium fuisse simias, contrarium probare nititur variis conquisitis argg. Verum eadem velut fructus Sodomæ (ut ipse loquitur) speciosa magis quam solida sunt. Cum nemo negare possit consuetudinem exstruendi templa versus orientem, natam ex prisco more adorandi solem. Id confirmat Caroli (u) *Gentiles in orando versus orientem se convertisse*. Hinc nec ipse Spencerus plane negare potest templa gentilium sic esse exstructa, ut adita vel sacraria ad orientem conversa fuerint. Verum hæc obiter. Neq̄ enim templo quicquam hic aliusve situs derogat. Hæc quidem templorum fuere initia: Revertimur nunc è diverticulo in viam, & in principia inquirimus. Principes certe qui templa gentilium excitarunt, omni & loco & tempore pietatem & contemplationem S. Entis jactarunt: Pauciores urgere & quem prætendunt finem intendere revera potuisse credo. Plus nimio sibi sapuisse arbitror, qui tam affabre simplicitatem ævi sui in suos convertere usus sciverunt, & ex religione quin superstitione qua subditos imbuendos curabant, machinam expugnandæ libertatis egregiam tam callide fabricarunt. Non licet hic excurrere longius, crescit enim opella prementis sub manibus. Quosdam saltem ex gentilibus, qui aliis alii inducti causis arcanum hoc prodiderunt, nominare sufficiet. Socratis cicutam amaram nemini propinabo. Alcibiades Hermas subruisse dicitur à Nepote in vita ejus: Vago enim affectu ab ambitione in voluptatem præceps ferebatur, eoq̄ non æq̄ temper arcana quæ pro ingenio

(t) de LL. Hebr. Rit. Lib. III. C. 2. Diff. VI. Sect. 4. (u) In Antiq. Rom. C. IV. p. 8.

genio suo politico probe perspiciebat, celabat. Dionysius Jovi Olympio magni ponderis aureo amiculo detracto, injectoq̄ laneo pallio dixit, æstate grave aureum amiculum esse, hieme frigidum; laneum autem ad utrumq̄ tempus anni aptum. Idem Epidauri Æsculapio barbam auream demi jusit; Idem Menfas argenteas atq̄ aureas è fanis sustulit. Idem victorias aureas, pateras, & coronas, quæ simulacrorū porrectis manibus sustinebantur, tollebat, & eas se accipere, non auferre dicebat: (x) Nam & illi hanc confessionē voluptatis amor qui nescio an avaritia multo minor fuerit excidere fecit. Apud Romanos tantum non magis detecta fraus est; Numæ illius gentilis Theologiæ & templorum fere parentis famosissima per colloquium Ægeriæ deceptio & impostura, qua populum sibi, alioquin rigida nimis cervice jugum subeuntem, subjecit, satis superq̄ decantata est, ut frustra sit Eryc: Puteanus (y) dum ex hydromantia, una cum Augustino eum defendi posse putat, præsertim cum ex commentariis ejus, quorum ibidem mentionem facit, eum nullius non sceleris & imposturæ reum faciat; Ego sane nullus dubito, eum omnia hæc de familiaritate Nymphæ, quæ hodiernum circum feruntur, sponte in vulgus edidisse, credulisq̄ tanto avidius pervasisse, quanto certior inde fidem & imperii sperabat firmitatem: (z) Quemadmodum eadem ductus ambitione Caligula in colloquium se venire Jovis simulabat. (a) Et sequiori ætate Muhamedem Sarracenorum apostolum, commercium quod sibi cum Spiritu S. intercedere suis pervasit asseclis, edocta, quæ identidem

(x) Valer. Max. Lib. I. C. I. & ex eo Lactantius. Inst. div. L. II. C. 4. (y) In anigm. Reg. p. m. 53. (z) Florus hinc ait: ferocem populum Deorum metu mitigavit. l. 1. r. 2. (a) Sueton. in vita ejus C. 22.

tidem ad aures ejus advolaret columba, & insuper dis-  
 simulato Epilepsiæ morbo, suo modo probasse, accepimus.  
 Talis nescio an Epilepsia sit, *επιθροασμός* quorundam  
 nostra ætate fanaticorum, qui & inde nomen sortiuntur  
 quoad finem certe haud dissimilis. Columbæ autem  
 Muhamedanæ æmulas arbitror fuisse illas Hanno-  
 nis apud Ælianum (b) aviculas, quæ istas edoctæ voces:  
*θεός ἐστιν ἄνθρωπος* subinde ingerebant, Cæterum consue-  
 tudinem & consanguinitatem cum Diis fingere peran-  
 tiqum fuisse arcanum politicum Curtius quoq; ex Da-  
 rii Codomanni exemplo docet, quem tamen valde suæ  
 fefellerunt artes, quod Alexandro M. per literas non  
 tam facile persuadebat, se consanguineum esse Deorum,  
 quam credulis suis subditis, neq; ei terrorem injiciebat  
 quem Persæ nescio an ex sola ista persuasione ridicula  
 concipiebant. Sed licet fidem ei Macedo non haberet,  
 è re tamen sua cernebat esse, eadem Persas via aggredi,  
 hinc Ammonis sese ferens filium idem eis glaucoma  
 44. objicebat. Nolo in recensendis exemplis prolixior es-  
 se, cum ipsa nos sana æq; ac experientia doceat ratio,  
 non esse alium æq; audacem consiliarium ac ambitio-  
 nem & diram, ut cum Poëta loquar regnandi cupidinem,  
 quæ, cum nihil tam sanctum sit, cui nos injicere manus  
 non hortetur, quidni ipsam religionem & contempla-  
 tionem Numinis ea præsertim ætate inter flagitia do-  
 minationis habuisse credatur? Quidni? cum viderit u-  
 nam superstitionem plus horroris populo, quam innu-  
 meras incutere Legiones, libertatem vero feliciter inje-  
 ctis animo vinculis coerceri, quam si pedes gravissimo  
 compedum premerentur onere. Hinc tanta Religionis  
 cura in gentiliū principibus. Hinc illa in immolandis

(b) Lib. XIV C. 30.

& cœdendis hostiis liberalitas. Hinc tam effusi & tantum  
 non nepotini sumtus in erigendis fanis. Scilicet prodigi-  
 osis opus erat mendaciis: paulatim in morem hydro-  
 pis creverat luxus: Splendida privatis quoq; coleban-  
 tur ædificia & palatia: Simplicia, humilia, oculos non  
 perstringentia contemnebantur. Deumne venerarentur,  
 metuerentve tam egenum, qui sibi ipsi de domicilio  
 prospicere non posset? Crederentne hunc sibi tam am-  
 plas contulisse opes? hunc sub persona quoq; cognati  
 sui, principis dico colendum? quid ergo? Eccum aliam  
 larvam! Scilicet locupletari Jupiter amat, donis eo-  
 rum, quos locupletes ipse reddidit: Princeps ex Manu-  
 biis splendidissimum collocat templum (a). Huic infert  
 opima Spolia. Hic arma suspendit redux ab hosti-  
 bus (b) adeste subditi, spectate Principis pietatem, imi-  
 tamini. Qui clypeum abjecerit in prælio, nec attulerit,  
 sacris & templis exesto (c) qui urbem servaverit gra-  
 mineam accipiat coronam, qui patriam civicam (d) sic  
 discite pro aris & focus pugnare, sic obedire principi,  
 & hæc vestra esto religio. Id Jupiter. O. M. vobis injun-  
 xit, id in libris continetur fatalibus. Sed quid Stilico  
 sibi vult, qui invocatus accedit & foribus Capitolii au-  
 ream detrahit laminam? (e) scilicet avarus homuncio,  
 neq; religionis neq; arcani vestri fatis tenax est. Et il-  
 le Brennus audaculus barbarus homo, templorum in  
 patria sua prorsus ignarus, Deor. tam divitum rarus sa-  
 lutator, Apollinis delubro sacrilegas infert manus? (f)  
 Nimirum, subveniendæ Publicæ rei, cum deperditis

E

jam

(a) Sueton. in vita Tib. C. 20. (b) Rosinus Antiq. Rom. Lib. X.  
 C. 29. (c) Tacitus de moribus Germ. (d) Rosinus l. c. Lib. V.  
 C. 27. (e) Hildebrandi Comp. Antiq. sub. tit. capitol. (f) Justinus  
 Lib. XXIV. C. VI.

jam tum thesauris templi, privato DEI penuli consul-  
tum esse nequeat. Quin fingimus & in publicum edi-  
mus postibus fuisse inscriptum Capitolii: *Infelici Regi*  
*servantur.* (g) Hunc vero postquam semel discescit, in  
Græciam, vix reversurum, dicimus tempestatibus & ha-  
45. renarum molibus cum omni exercitu interiisse. Ta-  
lia eccum à gentilibus historicis passim venditantur pro  
veris, quæ si non omnino conficta sunt ab ipsis, ex sim-  
plici tamen superstitione manant, aut ut Curtius de se  
alicubi scribit, & plura transcribunt quam credunt, &  
subducere non audent, quæ acceperunt à majoribus,  
quæ l. falsa sunt prorsus l. saltem dubia. Quis enim im-  
potentibus prorsus deastris tantum fuisse virium & po-  
tentia credat, ut hæc talia præstitisse credantur. Ais  
cacodæmonem illud stygium fecisse; Potest hic mul-  
tum fateor in homines permissu DEI, sed id ei conces-  
sum iri, ut idololatriam, qua verus DEUS ejusq; Numen  
sanctissimum maxime offenditur, vindicet, quotus quis-  
que credat? Forte in suis singuli Dii & dæmones plus  
poterant regionibus? miserima certe Numina Isidis &  
Serapis in Romana ditione nihil quicquam valebant,  
inermia nimirum, contra armatum securi Conf. L. Æ-  
mil. Paulum, qui cum templum eorum, publice destrue-  
46. retur, primus ictum toribus infligebat (h). Accedit  
quod incauti tum Principes tum Historici Gentilium  
sub ipsa illa prudentia nimia, simplicitate se suaq; my-  
steria prodiderint. In magnificentia Augusti tantope-  
re collaudata, à Svetonio haud obscure flagitium domi-  
nationis colligitur. *Phidiam* refert ex Græcis Valerius  
M. (i) *Athenienses tulerant, quamdiu marmore potius quam ebore*

(g) *Hildebrand. ibid.* (h) *Lib. I. C. 3.*

*Miser-*

*Minervam fieri debere dicebat, quod diutius nitor esset mansu-*  
*rus: Sed ut adiecit S. vilius, tacere iusserunt, quis non colli-*  
*git, metuisse eos, ne arcanum proderetur? si enim nu-*  
*men hoc suum dehonestasset, supplicio graviori dignus*  
*erat vel saltem exilio ut Diagoras Philosophus, qui au-*  
*sus fuerat scribere, primum ignorare se an Dii essent,*  
*deinde si sint, quales sint. Atqui carere vix poterant tam*  
*egregio Numinum fectore, fraudisque suæ architecto*  
*ἀρχοντες. Ergo satius erat, silentium imponere, ne in*  
*vulgus emanaret, quod ejus esset judicium de diis: po-*  
*tuisset enim fortasse majoris momenti res effutire, si*  
*quà contigisset, eum ex tali materia Numina elaboras-*  
*se ex quali Agathocles, contemptum sui generis à se re-*  
*moturus, conlassse dicitur. Miror quod Dionysio*  
*post tanum Proserpinæ spoliatum, copiam faciant, se-*  
*cundo per altum vento vehendi, neq; peculiarem tot*  
*sacrilegiorum pœnam definiant religiosi adeò Historici,*  
*ut opus habeant recurrere ad extremum ejus diem, &*  
*illud: Lento gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tardi-*  
*tatemq; supplicii gravitate compensat* (i). His equidem non  
47. approbo, quicquid hi tales admiserunt, siquidem non  
omnino nihil vitii in ista templorum direptione depre-  
hendo, sive causam impulsivam scil. avaritiam, quæ con-  
tagium est animæ specto seu societatis publicam tran-  
quillitatem, quæ non obiter turbari potuit, nisi Dionysio  
regia potestas quodammodo patrocinari queat. In eo  
tantum sum, ut quod mearum est partium, demonstrem  
eo jam nomine gentilium fana templa non - Templa  
fuisse, quod neq; sacris operari neq; DEUM contempla-  
ri proprie finis eorum fuerit, sed flagitium potius do-  
48. minationis. Objiciat quispiam difficulter id de omni-  
bus

E 2

(i) *Valer. Magn. Lib. I. C. I.*

bus probari posse. Certe ut eundem omnes supersti-  
 tionis & idololatriæ Magistrum audivere, sic eadem om-  
 nium Religio fuisse præsumitur: sed de pluribus sal-  
 tim valere assertum, partim quæ attulimus, partim quæ  
 studio tanquam clara ac minus explicationis egentia ex  
 Valerio Maximo & ex aliis tanquam omnibus ob-  
 49. via omisimus evincunt; Dispicimus & de reliquis.  
 Ponamus in his talibus non finem sed usum templorum  
 spectandum, siquidem ipsi sumus confessi No. 24. obser-  
 vantiam Principis magnam sui partem pendere ex cul-  
 tu Dei: Ecquæ tandem fuere sacra, quibus initiati gen-  
 tiles in templis istis operabantur? Nimirum quædam  
 non alia magis re quam silentio sacra sunt, ut Eleusina  
 Cereris mysteria, quæ proinde nec nos quidem elimi-  
 nabimus, tanquam infanda: Hoc tamen iudicium mei  
 de illis quin exprobram, non possum: quod nefas omnino  
 sit atq; piaculum vel saltem animo complecti atq; cogi-  
 tare in æde sacra, quicquid aliàs publice proferre & elo-  
 qui nefas habetur. Quædam gentiliū sacra prorsus ludi-  
 cra erant, utpote quæ saliendo ad cantū, aut tympanū pul-  
 satum, ut sacra Saliorum (n) peragebantur; quædam prorsus  
 obscœna & petulantia & lascivia plena, ut Luperca-  
 lia, in quibus Luperci discurrebant per urbem nudi &  
 loris caprinis nuptas percutiebant fœcunditatis & faci-  
 liois partus augurio (o). Alia porrò ad voluptatem ad  
 luxum & pompam alia omnia ad vanitatem composita  
 erant. Huc thensas, huc Lectisternia Deorum etc. re-  
 50. ferro. Scilicet hoc est sacris ritè, id est convenienter ope-  
 rari. Hic finis templorum internus. Quis inde scopus?  
 quæ contemplatio numinis nascitur honorifica? Forte  
 quod Summi Entis essentia consistat in otio & mollitie  
 atq;

(m) Rosinus l. c. Lib. III. C. 20. (n) id. ib. Lib. IV. C. VI.

atq; luxuria, qua quodammodo diffuat; quippe quod  
 delectetur ingeniosis otiosorum hominum nugis, & in-  
 star otiosi spectatoris convivia eorum & epulas in tem-  
 plis opipare instructas etc. etc. videat, iisq; se coli credat,  
 quin velit. Hinc eccum finis ultimus! Non certe fuit  
 ex hoc alius, atq; ulterius se extendens: Evidens enim  
 est flagitium dominationis, quod otii dulcedine, tan-  
 quam soporifero quodam medicamine, assopitos sen-  
 sim in servitutem asserere solet, ut annotavit Tacitus.  
 (p) Novit idem (teste eodem Historico πολιτικοί) in  
 mancipandis aliis, aliis uti remediis, neq; enim eadem  
 omnium stomacho conducunt: Huc faciebant, si quæ  
 erant alia magis severa & gravitatem quandam refe-  
 rentia gentiliū sacra, qualia ut plurimum in templis  
 familiaribus, quæ principibus seu defunctis seu vivis, ut  
 & Consulibus aliisq; fiebant. Patet ergo non jam usum,  
 sed scopum templorum flagitium fuisse dominationis.  
 Ast erit fortasse alia contemplatio in templis gentiliū? 51.  
 quæ vero? Aruspiciū, extispiciū, auguriū etc.  
 Quanti hæc talia fecerint prudentiores, docent exempla  
 Octavii, qui exta semicruda rapta foco, profecuit, (q)  
 item Cæsaris, qui haruspice tristitia & sine corde exta  
 nuntiante, futura dicit letiora cum vellet: nec pro ostento du-  
 cendum si pecudi cor defuisset; (r) ut & Claudii qui apud Siciliam  
 non pascentibus in auspicando pullis ac per contemptum mari  
 immersis, quasi ut biberent quando esse nollent, pralium iniit. (s)  
 Fuerunt ergo & isthæc ab Hetruscis ad Romanos  
 translata, ad decipiendum & cogendum tanto facilius  
 mobiles nimium Quirites ut vocat Flaccus. Quod haud  
 obscure ni fallor sagacissimus Romanorum subinnuit  
 nunt

E 3

(p) Tacitus Lib. I. Ann. C. 2. (q) Sveton. in vita Augusti C. I. (r) id.  
 in Vita Julii Cæsaris C. 77. (s) Sveton. in Vita Tib. C. 2.

52. *mirari se, quod augures, sibi forte occurrentes risum tenere possint. Quicquid tandem ejus sit, ex omnibus his non fuisse templa gentilibus liquet, cui quæ sit contemplatio DEI honorifica, homini verò salutifera, liquet. Summa certe salus in veri DEI contemplatione spectatur, tanquam summum bonum theoreticum, quod in ipsa acquiescit Theoria. Atqui in contemplatione deastrorum, in extispiciis & haruspiciis, quæ salus, nisi miserrime decipi & hallucinari salus est? Verum enim verò nec mundus semper ejusmodi spissis in volutus fuit tenebris, nec cæca caligo animos hominum semper adeò fascinosos habuit, ne lucem viderent cælestem, quæ illis oriente SOLE JUSTITIÆ affulsit. Ergo eo magis de Christianorum templis sumus solliciti, quominus templa eorum simpliciter non templa vocare sustinemus. Certe Christiana Religio sub infantia sua ligamentis quasi & fasciis persecutionum vincta, templa quidem sic dicta non vidit, prima enim initia tenuia, nec adeò stabiles res Christianorum erant, ut superbasillas ædificiorum moles erigerent, sed contenti erant si illis concederetur libertas conventus sacros instituendi, hinc invenimus Apostolos <sup>et</sup> ~~et~~ sectatores variis in locis conventus agentes 1. Cor. XI. 23. Act. XVI. 13. Act. I. 13. C. II. v. 1. Imo Justinus Martyr interrogatus à præfecto quem in locum convenirent, respondit: *Eo unumquemque convenire quo vellet ac possit: An existimas omnes nos ad eundem locum convenire solitos? minime res ita se habet, quoniam Christianorum DEUS loco non circumscribitur.* (t) Hæc non quidem ita accipio quasi templa omnia contemnent, indigna locietate Christiana habuerint, aliud exemplo Christi edocti qui quotidie in templo docuit; sed quod angustæ societatis*

(t) Conf. Henicij H. E. & C. Sect. II. C. 1. p. 174.

53. *res, quibus exponebatur discrimina etc, ea non patiebantur, neq̄ tamen secius cultus & contemplatio Dei inter eos vigeat, ut injuria hæc in eos convitia jactarentur, nullas habere Christianos aras, nulla nota simulcra, esse latebrosam & lucifugam nationem in publico mutam in angulis garrulam* (u) Non possum itaq̄ non mirari Scriptores tribus primis seculis magnifica assignantes Christianis templa sc. Polyd. Verg. (x) *Hyerosolymis à Jacobo Apostolo adem dicatam fuisse ut & Platinam* (y) qui tamen seipsum refutat in vita Calixti I. de basilica quæ ab ipso exstructa venditur inquit: *Non tamen crediderim hanc illam esse quam hodie tam celebrem & amplam cernimus, cum ea tempestate ob crebras persecutiones, occulta essent omnia & sacella potius & plerumq̄ subterranea quam apertis in locis & publica fierent.* Certe huic valde dissimilis in ingenuitate Pompejus Sarnellus (z) Basilicarum antiquitatem ab ipso Apostolorum ævo repetens. Nec certi quid continent quæ Lampridius (a) tradit: *Hadrianum templa condidisse Christi nomini consecrata, idemq̄ Alex. Sev. in animo habuisse, nisi sacrorum consultores eum deterruissent, Hadriani enim vita sat superq̄ testatur quæ averfio Christiani nominis ei adhæserit, utpote qui auth. IV Persecutionis fuit & licet non legamus divinos honores sibi arrogasse, quid impedit quominus dicamus (conjecturis enim hac in repugnatur) hæc templa simulacris carentia, quæ post multam ætatem in honorem I. C. exstructa existimabantur, in honorem Antinoi excitata esse, invenimus enim divinos ei honores ab Hadriano cui eximia formæ puer in deliciis erat decretos fuisse* (b) imo edicto statuisse ut publi-

(u) Min. Fel. in Octavo p. m. 8. 10 (x) l. c. Lib. V. c. 6 (y) in vita Pii I. (z) in Basilicographia Antiqua ut Acta erud. A. 1688 Mens. Mart. recensent. (a) in Vita Alex. Sev. c. 43. 51 (b) Euf. Chron. Cæs. ad A. 132

publice Sacrificiis coleretur (c). Interim tamen non magnopere laboramus de eo, quod pro re nata parvas ædes excitarint, ut apud Eusebium (d) legimus, quas adpellabant *ὄμικρα, ἐκκλησίαι, κυριακά, Martyria, oratoria, Conventicula*: (e) Hic status erat Christianorum sub Imperatoribus Gentilium superstitione infectis, interim numerus eorum mirum in modum multiplicatus, ut oratoria iis capiendis haud sufficerent, sed ampliora in singulis civitatibus erigenda essent; nondum tamen iis templa erant, hac voce enim insignire oratoria sua noluerunt, ut à Gentilium templis idololatricis discernentur, sed demum ævo Constantini Magni Religio Christiana paulatim succrescens, auras trahere liberiores cœpit & deinceps in templis quidem sed ex parte non templis nescio an fovebatur magis quam suffocabatur. Hinc sane Gesselius (f) inquit. *Res quidem Christiane in amplitudine & splendore, quam plurimum aucta sunt sed utrum cum amplitudine humilitas, cum splendore simplicitas, cum divitiis charitas accreverint, ipsa historia docebit, ut & Hospinianus* (g) *Postquam enim ad Christianos principes venit ecclesia, potentia quidem & divitiis major sed virtutibus minor facta est. Ubi Constantinus & alii Imperatores se paulo liberaliores erga ecclesias præbuerunt, juxta quosdam in aere audita sunt juxta alios parieti Laterani s. domus Episcopi Romani inscripta sunt hæc verba, hodie venenum infusum est Ecclesia.* Hujus relationis veritatem in medio relinquimus, attamen vel ex ipsius Eusebii H. E. videmus plane dissimiles tum temporis Christianos fuisse primis illis qui Christo adhæserunt, multi nimium effemus si testimonia hic adscriberemus, interim conf. Euseb.

(h) Ardu-

(c) Woverius in Com. ad Min. Fel. ex Athanasio adv Gent. p. 75. (d) H. E. L. VIII. c. 16 it. c. 1 (e) L. IX c. 10 (f) in Hist. Rer. memorab. E. N. I. p. 377 (g) l. c. L. V. c. 4. ex Hieronymo in vita Malchi

(h) Arduum omnino fateor de Christianorum sub Constantino M. templis judicium est, cui ferendo memet ipsum vix parem esse arbitror. Attamen quantum ejus rei assequor, salva aliorum sententia, expromam, Contemplatio veri DEI templorum (s. finis genuinus, s. species, quæ aliud quippiam palliare studuerunt homines, ut accepimus inde ab antiquo fuit. Illo modo vera templa, hoc modo nomine tantum talia habebantur; Syncretisimum in societatibus, quæ ex diversarum religionum affectis constant, insigne arcanum politicum esse nostro demum ævo sic innotuit, ut extra controversiam sit positum: Potuit ergo Constantinus qui non tam vi & metu quam amore & Religione omnibus imperasse dicitur (i) videri, ut laxatam luxatamq; reip. compagem tam respectu subditorum quam respectu sui ipsius confirmaret, templa Christianis excita-  
56. tasse, vel in horum usum gentilium fana convertisse, ut eorum criminationibus & publico diffidio materies subduceretur, atq; simul gentes ad Christianismum allicerentur, videntes quod sibi cum Christianis de externis religionis signis, quæ in primis spectabant, bene conveniret, quod horum Deus magnificentia & splendore suos si non superaret, saltim æquaret etc. ut proinde non amplius esset, quod eum tanquam egenum, & impotentem aut cultores ejus, tanquam templorum & religionis contemptores fugerent, despicerentq;. Hoc consilio atq; sine templa à Constantino fuisse constructa non nemo sibi tanto firmiter persuadeat, si expendat & odium templorum in primævis Christianis, quo non loca tantum, superstitione Ethnicorum infecta, sed nomen quoq; templorum averfabantur; unde iis non adeo gratificatum fuisse Imp. hac sua liberalitate, præsumitur; Et qui à poste-

F

(b) l. c. Lib. VIII. C. I. (i) Eus. H. E. Lib. IX. C. X.

à posteriori collegerit, repetendo præposteram Episcoporum assentationem, qua Gentilium ritus in Christianismum invexerunt, ad eò ut Papismus gentilismo tantum non examussim respondeat, annon idem quod diximus Constantini institutum fuisse credat? Nam ubi simulacrum Jovis aut Apollinis etc. iustulerunt, ibi statuam Petri vel Mariæ substituèrunt ex cujus præsidio, tanquam Palladio quodam sanctitatem & securitatem locus sceneretur. Taceo sacrificia, per missam repræsentata, aquam iustalem & id genus alia, quæ non nihil mutata ex gentilium templis ad Christianorum oratoria transtulerunt. Defendere hoc quicquid est erroris conatur Casaubonus (k) ab exemplo Pauli hisce: *Hanc Pauli sanctam prudentiam antistites primos religionis Christianæ saepe esse imitatos facile intelligent, qui antiquissimos pietatis nostræ ritus eum iis comparabunt, qui prius fuerunt apud paganos. Multa nomina antiquæ superstitionis, multi ritus & ceremonia retentæ: sed pia adhibita interpretatione omnia in melius versa: planeque ut alicubi ait Beda: pertinacis paganismo mutatione subventum est, quom rei in totum sublatio potius irritasset, sed prudenter subnectit homo perspicacissimus: An hoc consilium pro tempore utile in damnum veritatis postea verterit non hic disputo: confer.*

57. hanc in rem Mussardum. (l) Hæc & alia quæ scientes omitimus, Constantini zelum non omni ex parte purum atq; pium fuisse inferre videntur. Contra si quæ in pressi Christianismi sublevationem ab hoc Herœe factitata sunt, si illa Christianorum halcyonia, sub quibus à persecutionibus respirarunt crudelissimis, & miraculosam ejus ad fidem Christianam conversionem reputaveris, alia potius omnia ab eo exspectes, quam flagitia dominationis ex

lucata

(k) Exercitatione XVI. C. 43. ad Annales Baronii (l)

von Gebräuchen und Ceremonien so auf dem Heidenthum in die Kirche eingeführt.

58. lucata religione nata. Ut ut autem sit, templa hæc non templa fuisse vel eo nomine adseverare ausim, quod sequiori ætate, cum mysterium iniquitatis simul cum Episcopatu Romanorum, ad summum pervenisset florem, Pontificum & sacrificulorum avaritiæ, ac imposturæ paruerint potius & patuerint quam religioni & contemplationi S. Numinis, res multò notior est, quàm ut ulla indigeat probatione. Attamen unum alterumq; accipite argumentum: Quanto præstantioribus quodvis templum gaudet reliquis, tanto efficacior ejus virtus atq; sanctitas est in expiandis hominum peccatis: Ad sanctissimam quamq; basilicam missellis peccatoribus, spreitis itinerum & viarum molestiis, commeandum est, sic demum de remissione peccatorum certi sunt; Sed vacuis ad Deum accedere manibus non decet, præsertim eos quibus fors liberaliter sua contulit dona: Sic ad templa emolumentum atq; scenus prolixum, ad Papam usus fructus redundat peramplus. At num exigua attulisse commoda templorum immunitates putas, quibus pro Asylis venditantur; & cujuscunq; farinæ hominibus receptui & refugio sunt. Huc si quæ uxor tædio mariti cum omnibus cimeliis tuis, si quæ sponsa cum omni dote sua confugerit extrahi eam nefas est. Quod si interea Regina sua carere Regem contingat, vel principem filia. Exempla sunt in proclivi & adducerentur ni fugienda prolixitas omnes dissvaderet ambages: His certe jam temporibus Honorii & Theodosii adeo abusi sunt immunitatibus Pontifices ut coercere licentiam eorum latis etiam legibus & publicatis edictis compulsi fuerint Imp. Quid multis? quanto quisq; prolixiore munificentiam iu exstruendis dotandis & ditandis templis & cænobiis exhibuisset tanto majorem indulgenti

am promerebatur & tanto beator habebatur. Et sic demum (ò infandam impietatem) gloriari scelestissimus bipedum Leo x poterat: *Quanta nobis commoda peperit hæc fabula de Christo.* Quod ad ambitionem papalem: Templum in evitabili lege tanquam summe necessaria principibus obtruduntur, dum quædam inaugurationibus & coronationibus eorum destinantur, non dicam ita, ut irrita habeatur alibi locorum peracta hæc solemnitas: His freti Gregorius VII. merito à Luthero adpellatus *Hiltenbrandt*/ reliquiq; Hildebrandianæ religionis strenui defensores, in hæc blasphemia erumpere potuerunt: *Agite igitur Apostolorum sanctissimi Principes & vestra auctoritate interposita confirmate, ut omnes nunc demum intelligant si potestas in cælo ligare & solvere, in terra quoq; imperia regna principatus & quicquid habere mortales possunt auferre & dare possent.* (m) Hinc Baronius ad An. DCCC. inquit. *Hanc potestatem esse in ecclesia Dei & in ipso Pontifice primario residere, posseq; ipsum sic causa postulet, Apostolica plenissima potestate, infestum ecclesie Regem, sive Imperatorem deponere inq; locum ipsius iustum ac piuum sufficere, ex Dei verbo, jure divino & lege nature, necessariâ assumptione probari posse exploratissimum est.* (n) renitentibus enim Principibus & Societate Politica, statim ad hanc confugiunt arcem templa claudantur, cultus divinus non instituitur, ut Rei Pl. Venetæ aliisq; factum quorsum inventa ab illis excommunicatio est. Quid hic consilii Principibus persvasis templa esse sancta, quæ tamen nihil aliud sunt quam flagitia dominationis, nisi ut pacem expetant? His artibus dominium sibi arrogarunt; Hæc publicorum templorum facies nec meliora erant templa cænobiis conjuncta, a voritæ enim supra modum dediti Clerici contadendis opibus erant intenti, curam animarum adeò negligentes ut quandoq;

Aristo-

(m) *Platina in Vita Gregorii VII.* (n) *Casaubonus in Proleg. ad h. c. b. 3.*

Aristotelis Ethicam loco scripturæ illis explicarent. (o) Sane tempus his recensendis deficeret, cum omnes libri, omnes repletæ Historiæ sint, sceleratissimæ vitæ Clericorum Iconibus. Unius Platinæ verba singularia quæ habentur in vita Marcellini adducam: *Sed quid futurum nostra ætate arbitramur, qua vitia nostra eo crevere, ut vix apud Deum misericordia locum nobis reliquerint: Quanta sit avaritia sacerdotum, & eorum maxime qui rerum potiuntur; quanta libido undiq; conquisita, quanta ambitio & pompa, quanta superbia & dissidia quanta ignoratio tum sibi ipsius tum doctrinæ Christianæ, quam parva Religio & simulata potius quam vera, quam corrupti mores vel in profanis etiam hominibus (quos seculares vocant) detestandi, non attinet dicere, cum ipsi ita aperte & palam peccent, ac si inde laudem quærerent.* Verum enim vero objeât quispiam *abusum hunc non penitus abstulisse usum, siquidem nihilo fecius templa sacris inibi peragendis & contemplationi Dei inservire potuerunt: Quæ, prohi Dei immortalis hominumq; fidem! Sacra? an nugæ quibus perscribendis tempus & charta perderetur? an istæ (quas in ipsis S. Sanctis illis templorum initiationibus deprehendimus) prestigie de stultis articulis, ut de templorum dedicationibus, campagnarum baptismationibus, adhibitis patrinis seu susceptoribus qui munera largiebantur etc. quæ omnia ludibria & mere imposturæ sunt,* (p) Sacra sunt? An nundinationes indulgentiarum? an alia omnia, quæ à sanioribus Theologis dudum sunt explosa? & templis exterminata, sacra sunt? Quæ verò honorifica Dei contemplatio habetur? An illa, qua cultum Deo debitum Sanctis hominibus quin ipsi Pontifici deferunt, asseruntq;? An? sed nolo his examinandis in hæ- rere, cum neq; mearum id sit partium, & à Theosophis dudum evictum, misere in templis Pontificiorum S. Numinis contemplationem habitam. Si salutem spectes

F 3

quam

(o) *Apol. Aug. Conf. p. 62.* (p) *Art. Smalcald. Part. III C. XV. p. 377.*

quam in hac contemplatione quærere tenentur, certe nulla est: Non Politica: quod privatam Clericorum commodum non potest non cum publico societatis damno conjunctum esse: Neq; Theologica, quod hanc in opere, quod vocant operato collocant, quo tamen ipso in templis nihil præstant. Sed malo & hæc tetigisse tantum quam pertractasse, tanquam alio in foro excutienda penitus.

61. Hic tandem hoc qualicumq; defunctus labore Agonio, quod ajunt, Deo litare sperabam; Siquidem hæc fere sunt illa templa non templa, in quibus mangones sacrificuli partim gentiles partim papales, fucatam prostituunt Religionem. Sed aurem mihi vellicant Zwinglius, Carolstadius aliq; qui nescio quo pruritu vel ipsa templa l. quendam saltem eorum apparatus, in quibus B. Megalander Lutherus, Religionem miserrime habitam fomentis quibusdam refocillavit, quin veritatem quasi ex orco revocavit, fastidiunt. Illi quidem, quod bellum imaginibus olim indixere, forte optarent, ut eorum nomine nunc quoq; classicum canerem. Sed strenue hanc jam pugnam cum Venerand. Ecclesiæ Veteranis intrepidus Primipilaris Lutherus depugnavit & evictum dedit citra superstitionem in recordationem rerum ab hisce Christi Heroibus pie gestarum, cum insigni quoq; Ecclesiæ utilitate tolerari posse has imagines: Quare bellum hocce, quibusdam fere locis tantum non internecinum olim,

62. nunc ex integro, movere supersedeo. Sunt tamen hodie, qui videntur idoneam de templis conquerendi occasionem nacti in anathematis, quæ vocant, gentilitiis, vexillis, trophæis, & Epitaphiis magnifice ad luxum & ostentationem elaboratis, quod hæc talia originem gentilismo debeant: Hæc sepulchrorum ornamenta in templa sunt invecata per receptum ab Ecclesia ritum, sepeliendi inibi defunctos, qui non minus ac illa quibusdam vitio-

sus videtur, qua in causa maximæ autoritatis Cognitorem reperio Dn. Thomasius, qui hunc ritum juri repugnare naturali diserte asserit. (q) Certe Gentiles, qui emunctioris fuerunt naris ne in urbe quidem sepeliri aliis, quam Imp. & virg. Vestalibus fas esse permittebant, (r) Christianis quoq; nefas fuisse decretum Concilii Bracaracensis docet: (r) Corpora defunctorum, nullo modo sepelienda esse in templis, sed si necesse sit foris circa murum basilicæ sepeliantur. Adde quod Greg. Nazian: summam, ait, *injuriam templis illatam esse, qua in sepulchra mutata sint.* (s) Non inquiri an hoc beneficio jure suo priventur *puerperæ, quarum sepultura pollui templa credunt* (t) & *infantes ante baptismum mortui.* (u) Taceo item reliquam pompam funebrem, qua circa sepulturam equites cataphracti, & equi seu pullati seu phalerati in templa deducuntur, quod plerisq; jam dum locis in desuetudinem abiit.

Si verò de his omnibus dicendum quod res est fateri cogor vana quædam & ridicula, quædam etiam impia & vitiosa memet ipsum non sine scandalo alicubi locorum animadvertisse: Scilicet simulacrum Christi crucifixi novo quotannis linteo velari & capillamento memini me vidisse & vix mihi temperasse quin in cachinnos effunderer: Lubecæ prædivitis cujusdam mercatoris factus bilem mihi quam maxime movit, quem accepi magnificum in æde B. Virginis altare ea dedicasse lege, ut post fata exuvie suæ in eodem quiescerent, quasi exiguum esset in templo sepeliri, nisi in ipso quoq; sacrario & quod quasi loco sancti sanctorum est, ob sanctissimas Cænæ Dominicæ epulas, putridum vermibus epulum apparetur: Talem

qui-

(q) l. c. Diss. XII. Tb. IV. (r) Leg. II. XII. Tab. ap. Rosl. c. Lib. VIII. C. 6. (r) Can. XVIII. (s) In Orat. XXXV. ad Cl. Episc. p. 564 (t) Durandus in Rat. div. off. Lib. I. C. 5. n. 14. (r) Quensted. de sepult. Vet. C. 3. §. 53.

quidem templorum abusum abesse prorsus & ad ultimam relegari Thulen sæpius optavi, attamen quatenus usum & finem templorum penitus non abolet, vix sustineo asserere, templa hæc non templa esse præsertim cum circa ista omnia jus atq; potestas sit penes Magistratum Politicum: Interim tamen Clericorum, cum vulgo hominum delirantium collyrium, quo occæcatis eorum mentibus ne quicquam subvenitur, vix excusari nedum defendi potest. Quicquid de more paganorum in Thuringia, symposia statis anni temporibus in templis instituendi refert Arnoldus (y) lubens prætereo, quod de iis si per omnia quidem ita se habent, iudicium per est facile. Interim Deum O. M. supplex veneror, quod in toto hoc Sveciæ regno adeoq; & in patria nostra dilectissima vera videre templa, per arduam ac indefessam Uncti sui curam ac providentiam liceat, inque iis occasio exhibeatur, vota pro vera ac incorrupta religione, pro incolumitate Patriæ & Serenissimi juxta ac Potentissimi Patris patriæ, pro sæcunda Reverendis. Episcoporum atq; Doctorum annona, pro communi totius societatis & singulari singulorum felicitate nuncupandi, quæ irrita esse ne patiatur!

(y) Arnold. Kirchen und Ketzer Hist. Tom. II. Lib. XVI. C. II. §. 25.

